

Putredini resistit; in purgandis ventriculi cruditatibus acidis, & viscidis, vel per se, vel mistum cum aliis valde efficax est; consideratur, ut basis pilularum purgantium.

Dosis à semisrupulo ad scrupulum unum.

EXTRACTUM CATHOLICUM, seu PANCHYMAGOGUM.

R. Extracti Hellebori nigri, . } ana unciam unam.
 Agarici, . . . }
 Colocyntidis, . . . drachmas sex.

Liquentur, & misceantur cum sufficiente aquæ communis quantitate, hoc est uncia una (in qua salis nostri cathartici uncia semis sit soluta) ad mellis spissitudinem, tunc adde

Pulveris Scammonii purissimi, unciam unam.

Extracti Aloes, uncias duas.

Omnia perfecte mista, igne lento, ad pilularum consistentiam inspissentur, si opus fuerit.

Ad omnes expurgandos humores commendatur.

Dosis à semisrupulo ad scrupulum unum, vel semidrachmam.

C A P U T I I I.

DE MELLIBUS OFFICINALIBUS.

Mella Officinalia sunt Succī, infusiones, vel decocta melle confecta.

MEL DESPUMATUM.

R. Mellis optimi, libras duas.
 Aquæ communis, uncias quatuor.

Cc

Bulliant simul igne lento, trajice per pannum, & serva.

OXYMEL SIMPLEX.

R. Mellis optimi, libras quatuor.
Aceti acerrimi, libras duas.

Omnia simul decoquantur in vase fictili vitreato, spumam auferendo ad syrupi consistentiam, cola, & ad usum serva.

Humores crassos, ac pituitosos incidit, attenuat, atque abstergit, & ideo obstructions aufert, sputum movet, facilius ipsumque reddit.

Dosis ab uncia una ad uncias tres.

OXYMEL SCILLITICUM.

R. Mellis optimi. libras quatuor.
Aceti Scillitici, libras duas.

Decoquantur igne lento secundum artem ad syrupi consistentiam, cola, & ad usum serva.

Ad cerebri, pulmonis, ventriculi affectus pituitosos, & contumaces prodest, eoque utimur in epilepticorum insultibus, & ipso paroxysmo; asthmaticis quoque plurimum confert, obstructionsque inveteratas referat, crassos humores potenter incidendo.

Dosis ab uncia semis ad unciam unam.

MEL ROSATUM PRO VULNERIBUS.

R. Succi Rosarum Rubrarum, . } ana libras duas.
Mellis optimi, . . . }

Coque secundum artem ad syrupi consistentiam, dein cola, & serva.

Digestivum est, quapropter humores phlegmaticos, viscidosque in ulceribus contentos concoquit.

MEL PERSICUM.

R. Succi, seu infusionis Rosarum Alexandrinarum, libras tres.
 Mellis optimi, libras duas.

Coquantur secundum artem ad syrupi consistentiam, coletur, & reponatur.

Ad alvum solvendam, clysteribus immistum, usurpatur.

Dosis ab unciis duabus, ad uncias quatuor.

MEL MERCURIALE.

R. Succi Mercurialium depurati, . . . } ana libras tres.
 Mellis optimi, }

Coquantur secundum artem ad debitam syrupi consistentiam, dein cola, & usui serva.

Temperat, humectat, abstergit, & alvum emollit clysteribus permistum.

Dosis ab uncia una ad uncias tres.

MEL VIOLARUM.

R. Florum Violarum recentium integrorum, libram unam.
 Aquæ calidæ, libras quatuor.

Macerentur per duodecim horas colentur, & exprimantur, expressioni adde

Mellis optimi, libras quatuor.

Coque, despumando ad syrupi consistentiam, cola, & usui serva.

Inditur potissimum enematis, ubi febres cum alvi astrictione, molestæ sunt.

Dosis ab uncia una ad uncias duas.

Cc ij

Nota, quòd in defectu Florum recentium, fit infusio cum unciis quatuor Florum violarum siccarum.

Simili modo fiunt Mella

Roris Marini,

Rutæ,

Centaurii Minoris,

& similia.

HYDROMEL VINOSUM.

R. Mellis optimi, libras quatuor.
Aquæ pluvialis, seu fontanæ, libras duodecim.

Decoquantur simul igne lento in vase æneo benè stannato ad tertiæ partis consumptionem, vel donec ovum recens injectum non demergat, sed supernatet; inter coquendum verò, omnis spuma diligenter auferatur, dein Hydromel coctum, & per subsidentiam depuratum, ac doliolo exceptum, Solis radiis exponatur per quadraginta dies, vel usquequò nullum fermentationis signum appareat, dein doliolum obturatum in cella vinaria reponatur.

Stomachum, & alia viscera roborat, & spiritus auget.

Dosis ab uncia semis ad uncias duas.

Nota quòd *HYDROMEL*, *MELICRATUM*, *OPOMELLE*, ET *AQUA MULSA*, est mel aqua despumatum, ac ad debitam consistentiam coctum.

